



Stech-
flechte!



7.
8
9.
10
11
12.
13.
14
15
16
17
18
19
20

1 Weismanni f. Christ. Erbsh. f. iusta rationes
collectionis Canonice Scripturarum
Sacrarum, contra modernas quasdam
objectiones vindicatio, Tubingae
1737.

2 Specimen Magni Nichilii in rebus
vestri religionis, Tubingae 1739.

3 Diff. de veritate divina, fuerit
sicut expulsa, tamen usque recurrit
Tubingae 1740.

4 Varia Sacra, Tubingae 1738.

5 Renovata exceptioes contra
divinam institutionem Baptismi et
3. Ceneri Tubingae 1736.

Responsiones Speciales ad Georgii
Bulli objectiones de justificatione
fidei, Tubingae 1733.

7. 5.
RENOVATÆ EXCEPTIONES
CONTRA
DIVINAM INSTITUTIONEM
BAPTISMI & S. COENÆ,

QUAS
DEO JUVANTE,
RATIONIBUS JUSTIS EXIGENTIBUS

PRÆSIDE
CHRISTIANO EBERHARDO
WEISMANNŌ,
THEOL. DOCT. ET PROFESS. ORD.
ECCLESIAE TUB. DECANO, & DUCALIS SEMINARII THEO-
LOGICI SUPERATTENDENTE,

AD D. MENSIS JULII A. D. MDCCXXXVI.

H. Lg. solitis

PUBLICÆ VENTILANDAS PROPONENT

RESPONDENTES

JACOBUS FRIDERICUS SPITTLER, Cantstad.
JOHANNES FRIDERICUS JÆGER, Stuttgart.

PHILOSOPHIAE MAGISTRI & S. S. THEOL. STUDD.

TUBINGÆ,

Litteris SCHRAMMIANIS.

LEONHARD BROTHER
PETER AM INSTITUTIONAL
BAYLISSE & CO. & CO.

THEOPHILUS
AD DE MENTIS

JACOBUS ERNESTUS SEITLER, CANTOR
JOHANNES ERNESTUS WEGNER, SEKRETAR

LEONHARD
PETER AM INSTITUTIONAL





§. 1.

CUm non ita pridem ederemus *Dissertationem* nostram de *Iusta & iuta Gradatione probationis doctrinae & Pædo-Baptismi veritate & innocencia*, id quoque, si spatium amplius fuisset, docere constitueramus, non esse quidem dissimulandum, quicquid in testimonio Antiquitatis speciali in hac causa, universali maxime, deficere deprehenditur: nec tamen permittendum, ut illud sine causa, quo usque legitimum valorem habet, negligatur, aut per rabulismos pervertatur: dispiciendum interim illis esse, qui traditioni hic nimis confidunt, eamque argumentis Scripturariis præferunt, quo jure possint tueri fiduciam? Scilicet, ut constar, non minor est Disputatio historica de Pædo-Baptismo, quam dogmatica, quod ipsum adversarios in sua opinione magis adhuc confirmat, uti vel ex unius SCHYNI *Historia Mennonit. P. 1. p. 60. seqq.* patescit, illius autem defensoribus novum imponit onus. Elaborarunt autem in hac causa illustranda Viri Doctissimi, quorum vestigia ceteri sequi solent, & cum illis stare & cadere. Nos nostro more, nostrisque verbis, nostram breviter enuntiabimus sententiam. In genere certum est, principem atque generalem in examine hoc historico difficultatem excitare manifestam documentorum vetustissimorum penuriam, quæ non in hac tantum materia, sed in multis aliis, tenebras offundit, & suspensos relinquit Lectores antiquitatis scrutandæ cupidos. Paucissimos ex illo ævo Scriptores habemus: Quotquot autem supersunt, illi vel incertam habent auctoritatem, vel de rebus agunt longe aliis, vel privati sunt Autores. Ipsi Apologetæ primi veterum Christianorum, quorum offici.

ficium erat de Doctrina & cultu religionis Christianæ, totius Ecclesiæ no-
 mine, rationem reddere, ea parte, qua de Sacramentorum arcanis docen-
 dum erat, vel docuerant, ob disciplinam arcani deinceps in Ecclesia rece-
 ptam, truncati creduntur ab Eruditis Criticis, quo nomine putant, totam
 illam partem *Apologeticæ JUSTINI Martyris*, quæ de Baptismo egerat, in-
 tercidisse, id quod ita factum esse conjicit CLERICUS, ut expunxerint ex
 JUSTINO illi, qui propter disciplinam arcani postea invalescentem haud
 promiscue ista omnibus voluerunt patere. Vid. ejus *Hystor. Eccles. primi
 & secundi Seculi* p. 626. in *sexto & notis*. Ne sic quidem nobis sufficit il-
 lorum sive testimonium, sive silentium. Si nihil aliud scripserunt, quam
 quod nos hodie legimus, scripserunt imperfectissime. Si, quod scripse-
 rant, obliteratum est ab aliis, tam parum utique nobis prodest, ac si non
 scripssissent. Tantum interim hinc colligi posse existimo, ingentem sal-
 tum & hic eos committere, qui tam confidenter ex isto silentio, vel defe-
 ctu potius, argumentantur, in prima illa ætate infantes non fuisse baptiza-
 tos. Quod si autem in specie dicendum sit aliquid de testimoniiis particula-
 ribus, quæ pro Pædobaptismo ex laciniis illis Antiquitatis afferri solent, nol-
 lem sane hic allegari (quod BINGHAMUS facit *Origin. Eccles. Vol. IV.
 p. 193. seq.*) CLEMENTIS Romani epist. n. 17. & quidem hac sola de causa
 allegari, quoniam is ex *Hiobo* docuerit, neminem esse mundum à sorde, et si
 unius diei sit vita illius. De Baptismo enim nihil ibi dicitur. Nollem ab
 eodem citari HERMÆ Pastorem *L. I. Vis. III. C. III. & L. III. Simit. IX.
 n. XVI*. Si vel hujus libri authenticam admiseris, si aliquo tibi loco sit hu-
 jus Viri doctrina, si eam revera intelligas (quod non semper facile est) ideo
 tamen hic locus nihil probabit, quia non de baptismo aquæ, sed mystico &
 spiritali ibidem loquitur, de quo mira recitat. Probabilius est, quod mo-
 net BINGHAMUS ex JUSTINI Martyris *Apolog. II.* multos ex Christia-
 nis coelibus perdurasse, *οι εν παιδων εμαβησευθησαν τω Χριστω*, qui pueri
 Christi discipuli facti sunt, ipsumque JUSTINUM ad verba Salvatoris *Job.
 III. 3. 5.* provocare. De IRENÆO cerum est, quod is in *L. II. adv. here-
 ses c. XXXIX.* diserte tradat, omnes Christum venire per seipsum salvare,
 omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes & parvulos, &
 pueros, & juvenes & seniores. Recte hinc ait BINGHAM, locum hunc
 nulla arte eludi posse, quamdiu per regenerationem Baptisma intelligitur.
 At nullum dubium est, hoc nomine apud Patres antiquissimos, ipsumque
 etiam

etiam IRENÆUM, baptismum appellari solitum. CLERICI glossa in hunc locum IRENÆI in *H. E.* p. 778. *seq.* non valde me mover, est enim pure arbitraria. In *Constitut. Apostol. L. VI. C. XV.* nomine Apostolorum non modo acriter reprehenditur dilatio Baptismi, sed etiam aperte præcipitur: βαπτίσετε δε υμων και τα νηπια. V. PP. *Apostol. ex edut. noviss.* CLERICI p. 347. Habemus igitur testem authenticum Seculi tertii, vel quarti, & quidem ex Ecclesia Orientali, de moribus suæ ætatis luculentissime pronunciantem; his enim seculis autor vel compilator illius libri memorabilis, vel, si mavis, autores & compilatores a Viris doctis solent adsignari. ORIGENIS verba in *Homiliis* non solum in *ep. ad Rom.* sed etiam ad *Leviticum & Lucam* clarissima sunt, prout eadem allegat BINGHAMUS. Non dicit tantum ORIGENES constanter, *Ecclesiam ab Apostolis hanc traditionem accepisse*, sed etiam ad auctoritatem *Job. III.* provocat, ut omnes alii. Quod nonnulli hic diffidendo Latino interpreti RUFFINO (ut multas alias rationes criticas taceamus) ideo quoque sine causa sufficiente fieri existimo, quia probabile non est, RUFFINUM, utpote dogmatibus a PELAGIO deinceps ex cultis additum, ea voluisse his textibus inserere, quæ peccato favent originis, & ex eo baptismum infantum derivare. Vid. CARD. NORIS *Hist. Pelag. L. I. C. II. p. 5. seqq.* De CYPRIANI ætate nulla profus moveri potest controversia, & multo adhuc minus de AUGUSTINI ævo, ut inanem operam lusurus sit, qui rem apertam multis demum argumentis veller evincere. Postquam etiam communi hodie consensu eruditorum DIONYSIUS *Areopagita* cum scriptis suis in seram admodum ætatem rejectus est, certum quidem est illius testimonium, sed alienum ab ævo Apostolico, quod tamen prima fronte videretur promittere. Omnia hæc testimonia, quibus facile plura possunt adjungi, non carent suopondere, & majoris adhuc essent roboris, nisi obscurarentur per exempla dilati Baptismi in totam Ecclesiam effusa, & longe lateque grassantia, de quibus jam in *cit. Dissert. §. 14.* disseruimus. Si millies jam dicatur, hanc dilationem fuisse imprudentem, & ex malis ut plurimum principii profectam: Si addatur quoque, nunquam Ecclesiam consensisse in hanc consuetudinem, quin potius eam verbis Doctorum suorum contradixisse, & variis legibus ivisse obviam; semper tamen in promptu habent objectionem Pædobaptismi adversarii, fieri non potuisse, ut in hos abutus incidere veteres illi Christiani, si crediderunt, Apostolicum esse præceptum, ut

Christiani in ipsa etiam infantia baptizentur. Quamvis autem hæc exceptio plane non sit apodictica, sufficit, quod assensum dissentientium non parum, nec sine specie, impediatur. Quod si porro consideremus, quam confusa in aliis quoque hac de re multorum Veterum doctrina fuerit? Quantum ex altera parte suas de Baptismo declamationes non raro exaggeraverint? Quomodo verba Christi *Job. VI. 53.* eadem prope ratione ad præbendam quoque infantibus Evcharistiam applicuerint? negari certe non potest, quod homines jam aliàs adversus Baptismum occupati minus tunc moveantur quibuscunque testimoniis antiquitatis, quæ ipsis opponunt Theologi. Nisi igitur principe loco de jure Pædobaptismi ex ipsis S. literis constaret, & fundamenta ejus rei inde peti possent solida, vix vitio vertere audeam JOHANNI MARCKIO, Theologo quondam Batavo, quæ adversus VITRINGAM hac ipsa in causa disputavit. *Quod jam attinet, inquit, ad Pædobaptismum Christianorum Veterum, ex eo etiam nos argumentum peti posse pro praxi ejus Apostolica merito concedimus, sed vix aliud, quam probabile, nequiquam vero prorsus demonstrativum. Si enim vere recesserint illi per varias rationes satis invalidas a praxi Apostolica, imo si plurima minime Apostolica, uti constat palam, ad praxin illam addiderint alia, quis cum effectu invidet cogitare, baptismi extensionem ipsam ad infantes ab ipsis esse factam, aut fieri potuisse, præter Exemplum Apostolicum, per suas serius natas opiniones & hypothèses, peculiare forte, & minus laudabile. Fascic. Dissert. Philologico-Execr. Diss. VI. p. 212.* Ad minimum pro vero agnoscendum, quod supra diximus, jure de his difficultatibus admoneri eos, qui traditioni hic nimis confidunt, ipsisque etiam fundamentis Scripturariis eam præferunt, hujus enim fiduciæ nullas habent causas justas & legitimas. Non est tamen contemnenda pars hujus traditionis historiciæ, quod ex ea constet, nunquam in Ecclesia Christiana controversum fuisse, an liceat baptizare infantes? ut in ipsa *Dissert. cit.* ostendimus, neque hic repetere opus est. Sed de his jam satis, quoniam ea data opera hoc loco non tractamus. Id unum ad extremum addimus, inepros esse quosunque, qui Pædobaptismum ex Baptismo derivant, & ex hac origine aliquam ipsi creare conantur invidiam, constat enim, eum in puriore quoque Ecclesia, & apud Sapientissimos cultissimosque coetus Christianorum, ante id, quod speciali sensu Papismum vocamus, suum habuisse locum.

Hactenus per occasionem nonnulla diximus. Nunc vero ad illud ipsum progredimur pensum, quod principe quadam ratione his paginis nostris destinavimus, ejusque præterea ordinis est, ut in inanes auras abeat, quicquid in Ecclesiis Christianis docetur de Pædobaptismo, nisi illud per id, quod jam tractabimus, sustentetur. Ipsius Baptismi N. T. divina institutio & autoritas labefactatur a nonnullis nostra ætate, & ea quidem cum fiducia, quæ omnes priorum adversariorum hostilitates longissime superat. Ne quidem amplius agnoscitur, Christum Dominum in Cæna ultima aliquid novi ordinasse, quod a Christianis divinæ instar institutionis esset in posterum retinendum atque continuandum. Plenius vero hæc cognoscemus ex propriis illius *Scriptoris* verbis, qui inter postremos hac quoque parte doctrinæ omnium reliquorum Christianorum publicæ cum insultatione contradixit. *Ware es möglich (sic ille) daß heut zu Tag Leser sollten über das Neue Testament kommen, die nicht schon mit von Jugend auf eingefogenen falschen Lehrsätzen gefesselt waren, und ihre Glaubens-Artikel nicht so wohl in die Schrift brachten, als sie da heraus zögen, und dabey schon einen kleinen Begriff von dem Unterschied des N. Bundes und des alten hatten, nebst einer mässigen notice der Historie und Kirchen-Gebrauche solcher Zeiten unter Juden, so wohl als Heyden, so würde es ihnen schlechterdings unmöglich fallen, in dem ganzen N. T. eine Stelle zu finden, welche liquide komete darthun, daß von dem Heyland selbst eine einige neue Ceremonie im Gottesdienst seye expresse eingesetzt und befohlen worden, wohl aber, daß er als unter das Gesetz geihan, die schon bey den Juden gebräuchliche, umb sich nicht allzu-ergerlich zu machen, und bessern Eingang unter diesem Volck mit der Lehre des neuen Bundes zu finden, mit observirt . . . Beschneidung, Tauff, Osterlamm, Nachtmahl, oder Ausheilung des Brods und Weins nach dem Osterlamm waren jüdische Ceremonien, und bleibens noch, eine so gut, als die andere. Keine ist von dem Heyland selbst in den Tagen seines Fleisches angeordnet worden: Keine ist auch expresse auffgehoben, oder von ihm abrogirt worden: sondern alle diese Dinge hat der Heyland im Fleisch schon vor sich gefunden, als eingesetzte Ceremonien unter den Juden: alle waren bey ihm gleiches Werths als jüdische Ceremonien: die sollten auch alle zugleich noch einige Zeit*

Zeit geduldet werden, bis das hereinschneidende Wesen des Geistes diesen Schatzen selbst vernichte Hæc postquam dicta sunt de institutoris divinis N. T. in genere, suam de Baptismo in specie mentem seqq. verbis explicat: *Ja wirstu ruffen, inquit, man siehet doch Matthai am letzten, daß der Heyland die Tauffe solenniter als ein Sacrament eingesetzt und befohlen. Aber, mein guter Orthodoxe, ich bekenne dir noch, daß ich nichts hier finde von der ersten Einsetzung der Tauffe als eines Sacraments des neuen Testaments anstatt der Beschneidung, solte ich auch den Text zehnenmahl umbkehren, und endlich ganz zu Heckerlung zerschneiden, so kan ich nichts von einer neuen Institution finden, so wenig ich in diesem Text eine neue Institution des lieben Predigamts finden kan, wann es heisse: Gehet hin, und lehret alle Heyden &c. Ich finde wohl in diesem Text einen neuen Umstand und Zusatz, so der Heyland der gewöhnlichen jüdischen Tauffe annectirt, nemlich, daß die Jünger tauffen solten nun auch in seinem und der Heiligen Geistes Nahmen, da es zuvor nur im Namen des Vaters, oder des Jehova Ecbad, des einigen GOttes geschehen* Das Tauffen selbst war bey den Juden gemein: und die Heyden selbst hatten schon längst diese Tauff-Ceremonie und Lustration, oder expiation von groben Verbrechen angenommen, und weilen dieses Abwaschen des Leibes ohnedem ein fein Symbolum war von der inneren Reinigkeit, so wolte der Heyland diese unter Juden und Heyden gebräuchliche Ceremonie nicht cassiren, sondern vielmehr als ein bequemes Symbolum beybehalten, und sie nur mit der Erinnerung an ihn und seine Wohlthaten eclatanter machen. Im übrigen gebürte sie gar nicht als ein essentielles Stück zum neuen Bund und Evangelio, conferirte an sich selbst nichts zur Wiedergeburt, dann sonst hatte Paulus ohnmöglich den confidenten Ausspruch thun können, daß ihn der Heyland nicht gesandt habe zu tauffen, sondern das Evangelium zu verkündigen. Sehet, dieser Apostel, der ja die Intention des Heylands besser muß gewußt haben, als die heutige Sacramentirer, distinguirt nicht nur, sondern separirt auch, die Tauffe vom Evangelio, und siehet sie an als eine indifferente Sache, wozu er gar keinen Befehl habe von Christo, wiewohl er sie doch auch zuweilen exercirt hat, aber nichts höhers daraus gemacht, als aus der Beschneidung

Überhaupt behielte man doch unter den Heyden, die man zwar alsobald directe zu dem Wesen des neuen Bundes führen konnte, die Wassertauffe bey, als ein Signum initiationis, und einen Character zur entree in die Christliche Gemeine: da dann bey dieser Gemüthsgehaltsheit es dann freylich bey der außeren Tauffe

Taufe, die von heiligen Mannern unter Gebett und Anrufung des grossen Gottes und seines Christi administrirt, und von glaubigen oder Gottselbigen Gemüthern angenommen und empfangen worden, es ohne neuen Einfluß der Gnade nicht konnte abgehen: von welcher ersten Behandlung aber nun den hölzernen Schluß machen wollen auf die heutige Gaukeley, da weder Tauser noch Taufling Theil an GOu und seiner Seeligkeit haben, und aus Noth lügen, die Gnade und Seeligkeit stecke unter dem Wasser, ist ein so straffenswürdiger Betrug, als wann man hölzernen Kase zur Speise und Nahrung den Leuten verkauffen wolte. Entdeckt contra Woblgem. p. 194. seqq.

§. 3.

Non est autem præsentis instituti negotium, omnia ac singula hujus declamationis violentissimæ verba sub incudem revocare, in quibus solita adversarii fiducia & grandiloquentia utramque paginam, & inanissimis dictis præcipuam speciem conciliat: Candide tamen & fideliter dicemus sententiam nostram de eo, quod in hac causa gravissima præcipuum & capitale est. Primo mera verba sunt, & præterea nihil, cum dicitur, circumcisionem, Baptismum, Agnum Paschalem, Cœnam, meras fuisse ceremonias Judaicas, quas jam in usu Salvator invenerit. De circumcisione & agno paschali res certa est, quod jam prius extiterint: Quamvis utrumque nil fuisse, nisi meras ceremonias in sensu adversarii, pura puta hic sit petitio principii. Sed de hac quidem re hoc loco non disputabimus. Quod vero idem affirmatur de Baptismo & Cœna, omni solido fundamento destituitur. Jam nuper in *Dissert.* nostra de *Pædo-Baptismo* §. 17. indicavimus, quam dubiam originem & epocham habeat baptismus profelytorum Judaicus, & quam incertum sit ad minimum, quod ille baptismus Baptismum Johannis & Christi temporis ratione antecesserit. Cum vero noverint adversarii, etiam admissa ea hypothesi nondum tamen esse evictum, quod baptismi Judaici plane iidem fuerint cum baputismo Christi, hocque ipsum constanter, & multis ex rationibus, negari solet a Theologis, non certe sufficit, contrarium simpliciter affirmare & urgere cum fiducia, absque additis justis probationibus, & legitimis contrariorum rationum solutionibus. Tale enim: *ἄπιστος ἔφα:* nullius ponderis est. Id inde facilius deduceretur (quod & re ipsa plurimi faciunt) occasione inde depromptis-
 te Dominum sacra hæc instituta sua, sed longe alio fine, & ad sublimiores

B

ac

ac spiritualiores usus fructusque accommodandi, quod utique a priore diversissimum est, & a communi Ecclesiae Christianae doctrina de divina institutione Baptismi N. T. nequaquam recedit. Ut secundo pateat, non precario & ex mera opinione praedjudicata docere Theologos, nec solidis eos fundamentis Scripturariis destitui, ad illas ipsas rationes merito provocatur, quibus contra similes adversarios cum cura pridem usi sunt, & adhuc utuntur, imo quas ad thesin probandam adhibere solent in quibusvis Compendiis & Systematibus Theologicis. Fatetur adversarius, Baptismum fuisse usurpatum ab Apostolis & primis Christianis tanquam introitum in Ecclesiam Christianam. (quod & sine ipsius confessione extra omnem controversiam positum est) Id vero eos non fecisse instituto mere arbitrario, sed ex praecipito & constitutione Dominica, satis perspicue patescit ex sermonibus Domini cum Nicodemo Phariseo, quibus ille professus est *Joh. III. 5.* introitum in regnum Dei, h. e. in Ecclesiam N. T. sublimiora ac spiritualiora habere requisita, quam Judaei carnales sibi fingant constituantque, regenerationem sc. ex aqua & spiritu, seu per baptismum & regenerationem spiritualem cum eo conjunctam. Scio, hanc interpretationem ab adversario non agnosci. Sed hoc ad eam repudiandam non sufficit, dum res ipsa cum occasione & scopo hujus colloquii eidem favor. Quicquid alias de Baptismo Johannis controversum sit inter Christianos, sole tamen clarius est, eum non fuisse meram ceremoniam arbitrariam, & per imitationem simplicem Judaeorum adsumtam, sed divinam autoritatem, ac divina etiam ac spiritualia beneficia conjuncta, habuisse, quoniam *Luc. VII. 30.* Pharisei & Legis-periti, qui se ab Johanne baptizari passi non sunt, *consilium Dei adversus semetipsos rejecisse* dicuntur. Consilium igitur, voluntas Dei gratiosa, & mandatum fuit in isto instituto Baptismi Johannei, quod solidissime confirmatur ex illis, quae *Matth. XXI. 23. seqq.* legimus. Certum est, quod Salvator fateatur ibidem, ex eadem autoritate Johannem baptizare, qua ipse fecerat sua miracula, aliaque facta, super quibus a Principibus Sacerdotum fuerat interrogatus. Autoritas autem illa Salvatoris procul dubio fuit divina. Deinde dum vicissim homines illos interrogat Dominus, Baptismus-ne Joannis sit ex caelo, an ex hominibus? hac ipsa quaestione diserte negavit, eum fuisse institutum humanum & arbitrarium, sed ex divino mandato & autoritate profectum, ac singulari divinaque missione munitum supposuit, hoc enim est ex caelo esse. Nec aliter verba Domini intel-

intellerunt Sacerdotes, utut, ne confessio huius rei ipsis noceret, tacere maluerint, quam aperte respondere. Hac igitur parte dissimilimus fuit baptismus profelytorum Judaicus, si quis illo jam tempore in eo populo obtinuit. Ipse Johannes Baptista *c. I. Evang. Joh. v. 33.* pronuntiat, *Deum se misisse, ut baptizaret aqua*; quo nihil disertius dici potest. Imo baptizavit sec. *Luc. III. 3.* in remissionem peccatorum, sive, ut baptismus ipsius legitime susceptus habuerit promissionem & effectum remissionis peccatorum, quod ipsum nec dici potest de ceremonia mere humana & arbitraria, neque secum invicem conjungi absque autoritate divina. Quod si vero jam certum sit, Baptismum Johannis divinam habuisse originem, ac cœleste mandatum cum gratia spiritali copulatum, procul dubio deterioris conditionis non fuit baptismus ille, quem Dominus per discipulos suos administravit. *Joh. III. 22. 26. 27. IV. 2.* de eodem enim Johannes Baptista nonnullis cum invidiæ significatione sibi hoc referentibus respondit, *non posse hominem recipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo.* Vid. & seqq. Longe autem absurdissimum erit hanc prærogativam negare baptismo Domini tanta cum solennitate, paulo ante suam in cœlum ascensionem, discipulis ipsius demandato, quem *c. XXIX. Matthæi* nobis denunciat. Dicit quidem in antecessum, & quidem cum derisione sui Orthodoxi, adversarius noster, si vel decies textus ille a se repetatur, si in minutissima segmenta dividatur, nullam tamen se institutionem divinam in N. T. valituram in eo perspicere posse. Sed qua fronte quave specie veritatis hoc dixerit? non difficile est ostendere. SOCINUS cum nonnullis suis alleclis rigidioribus ausus est negare, quod verba Domini *l. c.* de baptismo aquæ loquantur. Ipsum mandatum & institutionem Domini in illis verbis negare non sustinuit, nisi quod in casum casus deinceps commentus est, si, præter opinionem suam, ea de Baptismo aquæ tractate supponerentur. ROB. BARCLAJUS (cum quo adversarius in rejectione omnium institutorum Dominorum N. T. quæ nos Sacramenta vocamus, accuratissime consentit, unde mirum non est, eum *l. c.* scripserit, *die heutige Quæcker seyen hier auf den rechten Sprung gekommen*) similiter inficiatur, baptismum aquæ in his Domini sermonibus contineri, ipsam vero institutionem & ordinationem intactam relinquit, imo candide fatetur idem, si de baptismo aquæ hic agatur, tunc omnino urgeri posse, baptismum illum ad consummationem usque seculi oportere permanere. *Apolog. Christ. Theol. p. 368. edit. in 8.* Qui

vero nostra ætate ipsum etiam mandatum Domini de novo instituto ex-
 pungunt, audent sane aliquid, quod prope supra fidem est. Damus hu-
 jus accusationis nostræ rationes. Primo quidem, si hac in causa, & ver-
 bis illis, nihil novi distinctique a recepto jam undique baptismum Judaico
 præcipere voluit, quid attinebat hæc provocare ad omnem potestatem in
 cælo & terra sibi datam? At continuandum hunc baptismum, & quidem
 per meram *συγκατάβασι* temporariam, Apostoli nullo alio jure opus
 habebant, quam quod omnibus commune erat, unde etiam SOCINUS,
 BARCLAJUS, & similes, negârunt, quod ex alio motivo, quam meræ
 consuetudinis, postea baptizaverint. Nihil superest, quam ut dicatur,
 provocationem eam Domini ad potestatem omnem in cælo & terra sibi
 datam baptismum non respicere, sed prædicationem solam Evangelii apud
 omnes gentes. Sed hæc mera esset vitiligatio. Est illa præfatio generalis,
 per quam rationem reddit Dominus, quo jure omnia ea discipulis præcipiat,
 quæ in verbis *seqq.* ipsis demandavit, quod ipse *Democrius* agnoscere co-
 actus est, dum prætendit, & fateretur ad minimum, noviter id iustum addi-
 tumque fuisse a Domino, ut Baptismus in posterum in nomine Patris,
 Filii & Spiritus S. administraretur. Potestas igitur illa ad ipsum usque
 baptismum extendenda est. Deinde quid clarius est verbis Domini post
 illam præfationem divinam & magnificam: *Profesli ergo docete omnes gen-
 tes* (vel ut alii vertunt, *discipulos meos facite omnes gentes*) *baptizantes eos
 in nomine Patris, Filii & Spiritus S. &c.* Mandatum hic (ut & *Marc. XVI.
 15. 16.*) contineri, nemo sane jure dubitabit. Tota lis igitur eo recidet:
 utique mandatum esse, sed non novum: esse meram continuationem ce-
 remoniæ jam antea inter Judæos & gentiles usitatæ: nihil novi esse addi-
 tum præter modum baptizandi in nomine P. F. & Spiritus S. Præter-
 quam autem, quod hæc omnia dicantur solum, & non probentur, ipsa sa-
 ne hæc additio ostendit, baptismum Christi ex illius mente & mandato lon-
 ge aliud quid fuisse, quam ceremoniam Judaicam mero arbitrio humano
 introductam, Quid sit baptizari in nomen Patris, Filii, & Spiritus S. &
 pridem ostensum est. Est scilicet consecratio ac dedicatio baptizatorum
 ad fidem, cultum, & obsequium Patris, Filii, & Spiritus S. per baptis-
 mum. Ut id fieri posset cum beneplacito divino, divina quoque autori-
 tate & promissione opus erat. Hinc Dominus divinam illam potestatem
 ut supra vidimus, interposuit. Hinc mandavit expresse & distincte, ut id
fieret,

ficeret, adjuncta promissione suæ præsentiae gratiosæ usque ad consummationem seculi. Et quæso cui bono facta fuisset hæc additio & interpolatio ceremoniæ mere humanæ, si illa nullum usum habere debuit singularem in Ecclesia N. T. si ceremonia manere debuit mere Judaica, si per condescensum saltem voluntarium usurpanda, si mox ac brevi prorsus cessatura erat instar umbrarum aliarum. Quin potius tota illa forma, quam Dominus præcepit, baptismum effecit Christianum, non Judaicum, aut gentilem aliquam lustrationem in accidentalibus qualitercunque immutatam. Potuisset alias superflua hæc additio inducere persuasionem Christianis præter intentionem Domini, baptismum non esse dimittendum instar ceremoniæ cum religione Judæorum & gentilium antiquandæ, sed retinendum esse, ut partem professionis Christianæ. Loquimur autem ex hypothese adversarii, non ex mente propria. Accedit, quod baptismus Christi, uti ab eo is profectus est, additam habuerit promissionem: *Quicumque crediderit, & baptizatus fuerit, salvabitur. Marc. XVI. 16.* Pertinebat igitur ex instituto Salvatoris baptismus ad ordinem salutis. Conferamus exempla baptismorum, quos referunt Acta Apostolica. *Act. II. 37. seqq.* ad quæstionem compunctorum: *quid sibi jam faciendum esset?* (vel, ut alibi eadem quæstio exprimitur, *quid sibi faciendum esset, ut salvi fiant?*) responderunt Apostoli: *Respicite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus S.* (non extraordinarium tantum, sed etiam ordinarium) *Conf. Act. II. 38. 39. X. 47. XVI. 30-33. XIX. 3. seqq.* Accedit, quod baptismus in scriptis Apostolicis connectatur uno ordine cum morte peccati, & novitate vitæ s. quod idem est cum conformatione mortis & resurrectionis Christi. *Rom. VI. 4. 5.* cum spirituali induitione Christi. *Gal. III. 27.* cum ἐπερωτήματι συνεδήσεως ἀγαθῆς εἰς ἔθνη. *1. Petr. III. 21.* similibusque aliis beneficiis spiritualibus. Hunc vero nexum constituere inter actiones quosdam externas & rituales, atque inter beneficia ejus ordinis, nemo potest, nisi Deus, vel Filius Dei, qui omnem in cælo & terra potestatem habet. Loca magis controversa ne allegamus quidem. Quomocunque explicetur hic nexus, illius solius Autor Deus est: quod ideo moneo, quia hic nondum est quæstio de modo efficacis, quem *Democrius* in ridiculum vertit loco plane alieno, quasi crederetur tam crude, *die Gnade und Heiligkeit stecke unter dem Wasser.* Nondum hoc agitur, sed de eo quæstio est, an Baptismus

fit

fit ritus sacer, quem Dominus IESUS Ecclesiae suae praeceperit, ac promissionibus spiritualibus ac divinis muniverit? quod ille praeracte negat, sed contra manifestam lucem, & contra sensum communem totius Ecclesiae Christianae omnium temporum, si pauca quadam capita heteroclitica excipias, quorum merito nulla habetur ratio in his circumstantiis. Denique huc etiam pertinet, quod Apostoli accurate observaverint Baptismum in functione sui muneris Apostolici, cum apud Judaeos, tum inter gentes, eousque, ut officia etiam generalia omnibus Christianis communia ex Baptismo repetant, quod eo minus necesse est probare, quia ne quidem *Democritus* id negat. Quod vero adversarii Baptismi hic praetendunt exceptionis loco, coactissimum est. Mandavit, ut vidimus, Christus baptismum Apostolis. Et tamen credere jubemur, non baptizasse Apostolos propter illam ordinationem Christi, sed quoniam condescendum erat moribus Judaeorum. Imo potius notorie falsus est hic condescensus, quod vel sola illa Baptismi Profelytorum apud Judaeos historia docet, ex qua constat, non se invicem baptizasse Judaeos, sed gentiles ad religionem Judaicam transgressos. Apostoli vero non gentiles tantum, sed ipsos etiam Judaeos, baptizarunt in nomine Christi. Alii vero *Βαπτισμοί* & *παιτισμοί* legales Judaeorum cum praesente materia nullam profus affinitatem habent. Plura jam de hoc non addemus, Quod tertio loco urgetur tanquam argumentum apodicticum a *Democrito* ex *1. Cor. 1. 17.* si Baptismus pars esset essentialis novi Foederis sive Evangelii, non potuisset dici ab Apostolo, *se non missum esse ad baptizandum, sed ad praedicandum Evangelium*: nova objectio non est, sed antiqua, maxime autem a *SOCINO* & asseclis, nec non a *BARCLAJO* & similibus recocta & exornata, ac proinde a Theologis sapissime soluta, ut vere dici possit, non debere huiusmodi objectiones tantum repeti, sed etiam ostendi, quid in datis jam responsonibus jure desideretur. Monitum est a Theologis, non esse credibile, quod ceteris Apostolis magis, quam Paulo, incubuerit officium baptizandi: imo, id, quod *Matth. XXIIIX.* & *Marci XVI.* reliquis Apostolis dictum erat, Paulo quoque dictum fuisse: opponi ibidem baptismum propria manu peragendum praedicationi Evangelii in propria persona, non autem baptismo simpliciter, baptismum enim propriae manus occasionem Apostolo praebuisse huius sermonis: sine vocatione acturum Apostolum, cum nihilominus alios & baptizavit ipse, & baptizari curavit, & quidem gentiles quoque, quos ipse

ipse *Democritus* ait directe ad substantiam Novi Fœderis duci potuisse: cur ergo baptismus etiam Paulo ordinarius fuerit introitus conversorum in Ecclesiam? multos etiam ex interpretibus liberis, e. g. GROTIUM, CLE- RICUM, & ex ipsiſ Socinianis SCHLICHTINGIUM agnoviſſe, verba illa non absolute, sed comparative, interpretanda pro more Scripturæ, ut sensus sit, se non tam ad baptizandum, quam ad evangelizandum missum esse: denique, si vel absolute sonarent illa verba, (quod tamen non sit verisimile) dicendum fore, quod Paulus singulare quid sibi tribuat, idque ad ceteros Apostolos applicari non possit. Hæc omnia solide & curate expendi debuerant ab Adversario, non vero sufficiebat dicere tam confidenter, quod vi hujus dicti Paulus Baptismum habeat pro re indifferente, sibi a Christo non præcepta, imo non maioris æstimata, quam circumcisio &c. quæ omnia Apostolo in mentem non veniſſe, allatæ rationes satis superque probant. Hæc insuper comparatio baptismi & circumcisionis in relatione ad N. T. notorie absurda est. Ubi enim de baptismo unquam vel verbum dixit illis simile, quæ de circumcisione in plerisque suis epistolis enuntiavit? Quid circumcisio ad gentes spectavit, quæ tamen sine controversia baptizata sunt post conversionem suam ad Dominum? Quo jure igitur dici potest, Paulo Apostolo baptismum & circumcisionem æqualiter fuisse indifferentem?

§. 4.

Idem *Adversarius* multo adhuc ferocius impugnat divinam institutionem S. Cœnæ tanquam ordinationis pro Ecclesia Christiana N. T. totamque de ea doctrinam per omnes & singulas partes. Nos vero nos continebimus in præsentia in examine solo institutionis & ordinationis divinæ, cum reliqua omnia præsens pagina non capiat. Verba Viri præcipua hæc sunt: *Paulus wolte vor seine bekehrte Heyden auch sorgen, daß sie nebst den Juden auch eine auſſerliche Handlung und Symbolum machen haben sich eeffters der Wohlthaten und des Todes Jesu Christi auf eine solenne VVeiſe zu erinnern. Die Christen aus der Beschneidung feyrtten solche Erinnerung nur auf dem Osterfest, auf welchem, oder bey Genieſſung des Osterlamms auch der Heyland diese Gedächtnuß seiner VVohlthaten ihnen injungirt, so lang sie nehmlich solches Fest noch celebriren würden; dann das wollen die VVorte: Solches thut, so offi ihrs thut, zu meinem Gedächtnuß. Das ganze Pascha vor die Heyden zu ordonniren siele ihm bedenklich und gefährlich, oder der*
Frey.

Freyheit des Geistes im N. Bunde præjudicirlich, darum separirte er nur das Brodbrechen und den Kelch der Danckſagung zu der Heyden Gebrauch, bey welchen doch abſonderlich der Heyland dieſes ſein Gedächtniß recommendiret hatte. Dieſe Handlung bekam nun einen andern Nahmen, und wurde genennet *δευτρον κυρια*. Er berufft ſich auf das Exempel des Heylandes, und gar nicht auf einen expreſſen Befehl, den er deſſwegen immediate und aus dem Himmel empfangen, wie die Worte: Ich habe es von dem HERRN empfangen &c. ſonſt fäſchlich ausgeleget werden. Dann ware dieſes, ſo hatte er gar nicht nöthig gehabt denen Corinthiern die Umſtände der Hiſtorie zu erzehlen, welche die Erinnerung des Heylands veranlaſſet. Es ware auch abſurd zu gedencken, vielmehr zu ſtatuiren, daß der Heyland zur Rechten GOttes in ſeiner Herrlichkeit erſt ſich würde umb auſſerliche Satzungen bekümmern, der doch in den Tagen ſeines Fleiſches und unter dem Geſetz ſich keine Mühe gemacht neue Satzungen zu ordiniren. Dieſes Nachtmahl des HERRN wurde nun bey den Heyden nicht etwa des Jabs nur einmahl, wie bey den bekehrten Juden, ſondern ſehr oft celebrirt, ja endlich mit ihren agapis combinirt. Deinde poſt odioſiſſimas fictiones ordinationis alicujus Sacramentalis proximo poſt Apoſtoloſ ſeculo, quod propterea ſuperſtitioſum vocat, & poſteriorioribus hac parte adhuc miſerius fuiſſe exiſtimat, excogitatae ſic pergit: Es lieſſe zwar GOTT und ſein Wort des Lebens in dieſer Sacraments-Einſtarnuß ſich nicht unbezeugt, und erweckte viele ihm noch ergebene Seelen (nominat poſtea Evchetas & Enthuſiaſtas, welche die Sacramentsphantaſten verketzert hatten) daß ſie ſich nicht nur von dieſen Greueln abſonderten, ſondern auch nachdrücklich davvider zeugeten, auch endlich mit denen heutigen ſo genannten Quackern auf den rechten Sprung ſchon damals kamen, den ganzen Bittel der noch aus dem Judenthum beybehaltenen eitelen, und nun ganz in Abgötterey und Mißbrauch gerathenen, Ceremonien zu caſſiren. Si funden aber keinen allgemeinen applauſum, und die ſüſtere Sacramentschwärmer waren ſchon zu ſolcher Menge angewachſen, daß ſie jene als Kezer unterdrucken konnten. Denique ſpeciminis loco hoc adjungimus Viri conſeſtarium ex præmiſſis principiis. Wann es erſt ſo weit durch Betrug der Sünden gekommen, daß man mit dem ſehr orthodoxen Verfaſſer des Stoßgebeteleins: Ach bleib bey uns &c. nichts anders von dem Heyland zu ſuchen weiß, als daß ſein Göttlich Wort, d. i. in dem Sinn des Verfaſſers, die Lutheriſche Orthodoxie, und die Sacramenten nicht mögen verderben und beſuaelt werden, da hat die Verſtockung
und

und Blindheit ihren höchsten Graderreicht. Gottes Wort, mein lieber Mann, wird gewiß nie kennen verfinstert und besudelt werden. . . Deme Orthodoxie aber und Sacramenten sind nie rein gewesen, sondern ab ovo und an sich selbst eine Frucht der Finsternuß, und eine abgöttische Besudelung des Geistes, die ihm allzeit im Weg gestanden &c. Vid. Entdeck. contra Wohlgem. p. 204. & seqq.

§. 5.

Patet ex prolixioribus his verbis, principem hujus Adversarii thesini esse, quod omne id, quod nos S. Cœnam vocare solemus, nihil fuerit, nisi continuatio temporaria Paschatis anni apud Christianos ex Judæis, ex ipsa intentione & συγκαταβάσει Christi Domini nihil novi hic præcipiendæ, vel instituentis, & apud Christianos ex gentilibus institutum prudentiæ Paulinæ in retinendo introducendoque postcœnio Paschali, quoniam ad ipsum Pascha integrum obligari non potuerint, pariter non nisi ad tempus, donec in Spiritu adoleverint. Enimvero meram hanc esse fabulam & Systema imaginarium, cujus vertiginosiorum gradum ne BARCLAJUS quidem, ut inter Doctores illius primarios eminent, attingit, justæ rationes evincunt. Non urgebo hoc loco, quod ne hoc quidem profusus certum sit, cœnam Paschalem solitam fuisse, quam Dominus in illa nocte celebravit. Hodie magis, quam a longo tempore, hæc controversia recrudescit, ut notum est. Abstinemus tamen ab hac quæstione, ne videamur præsidium aliquod quærere in incertis hujusmodi disputationibus. Illud propius ad causam nostram pertinet, quod Viri illi judiciosi, qui alias affinitatem aliquam in Paschate & Cœna quærunt, fateantur quidem, ea occasione Cœnam institutam esse a Domino, at agnoscant tamen, factum id esse novo plane instituto, atque ad usum Ecclesiæ N. T. Hi vero Scriptores mutant quadrata rotundis, & audent aliquid sua temeritate dignum, dum idem profus & Pascham & Cœnam Domini fuisse, tam audacter affirmant. Nec illi observationi morose nunc inhærebimus, qua nonnulli non absque specie existimant, verba Lucæ & Pauli μετὰ τὸ δεῖπνῆσαι Luc. XXII. 20. 1. Cor. XI. 25. absolutam profus cœnam Paschalem, & novum plane atque a priore distinctissimum institutum indicare. Hic tamen meretur attendi primo, quod S. Cœna, prout Christum Dominum autorem habet, conceptis verbis vocetur Κυριακὸν δεῖπνον, ποτήριον Κυρίου, τράπεζα Κυρίου &c. 1. Cor. X. 21. XI. 20. Hoc nomen autem non meretur ceremonia Judaica, nullius amplius in N. T. autoritatis, quam Christus Dominus, ut

C

adver-

adversarius loquitur, nec præcepit expresse & proprie loquendo, nec abrogavit, sed saltem per indulgentiam adhuc per breve tempus durare permisit, & quidem apud infirmos, & gratiæ N. T. plenioris nondum capaces, qualis erat Agnus Paschalis cum cognatis ritibus. Nihil vero per illas denominationes dici potuit apertius atque convenientius, quod si divina institutio & ordinatio Salvatoris in phrasibus illis supponitur. Tunc enim omnia plana sunt & facilia. Idem *secundo* colligimus ex summa improbabilitate conjecturæ, quasi tota ratio mandati & ordinationis Domini non ad Actum universum Cœnæ, sed ad unam circumstantiam mutati finis, esset referenda. Hæc mutatio finis, manente substantia solennitatis Paschalis, *συνήθεια* est. Si adjecta est agno paschali commemoratio mortis Christi, non amplius hic ritus fuit Pascha illud V. T. quod in memoriam eductionis ex Ægypto ordinatum erat, sed Pascha N. T. quale tamen Christus Dominus hoc modo non intendit: fuit non amplius ceremonia Judaica, sed Christiana, Gentilibus æque ac Judæis ad Dominum conversis applicabilis, quod tamen notorie falsum est. Commemoratio mortis Christi non debebat fieri in continuatione typi, qui antitypo præsentate cessare debuit. Aptissime vero quadrabat Cœnæ Domini, prout illa in nostro Systemate describitur. Illa ipsa quoque brevis continuationis temporariæ & arbitrariæ, qualis heic ab adversario supponitur, satis perspicue ostendit, illam mutationem finium istorum sapientia Domini nequaquam dignam fuisse, maxime si consideremus, in hoc casu officium essentiale & indispensabile, atque adeo perpetuum, ac præterea ex intimo sinu religionis Christianæ petitum fuisse alligatum sine omni necessitate ritui Judaico, semel per annum peragendo, in se jam antiquato, atque a genio religionis Christianæ alieno. Affectatæ sunt hæc cogitationes, non nativæ ac genuinæ. *Tertio* ex hac hypothese Christiani ex Judæis non nisi semel per annum, nim. cum agno paschali, Sacra uti potuissent Cœna, ut ipse fateretur adversarius. Id vero prorsus contrarium est testimonio Actorum Apostolicorum *Cap. e.g. II. 42.* ubi Christiani Hierosolymæ, atque adeo conversi ex Judæis, dicuntur perdurasse in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis & precibus, fractione, inquam, panis, non cujuscunque, sed *τῆς αἰτης*, certi cujusdam panis, qua locutione Evcharistiam contineri ostendunt loca paralela *Act. XX. 7. 1. Cor. X. 16.* Imo etiam, qui de communi victu hanc phrasin accipiunt, ei saltem Evcharistiam conjunctam fuisse concedunt, Eo majorem

rem speciem habet hæc ratio, quoniam *ll. civatis* illa fractio panis partim cum primo die Sabbati conjungitur, partim a *noivavia* sive communicatione, temporalium sc. bonorum inter se, distinguitur. Hinc procul dubio nata est pervulgata illa opinio, quod Christiani primi frequentissime, imo quotidie, sacro usi fuerint epulo. *Quarto*, cum Paulus Apostolus *1. Cor. V. 7. 8.* de Paschate Christianorum loquitur, docet quidem ille, Pascha nostrum esse *Christum pro nobis sacrificatum*, atque ex analogia Paschatis Judaici jubet *festum hoc agere, non fermento malitia & nequitia, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* De retento vel tantisper agno paschali secundum veterem morem, & cum Paschate hoc spirituali conjungendo, ne verbulum quidem dicit, quamvis hæc ipsa allusio ad Pascha Judaicum ostendat, ipsi in hac exhortatione omnino etiam rem cum Christianis ex Judæis fuisse, hoc certe argumento apud meros ex gentibus Christianos non usuro. *Quinto* si inter Christianos ex Judæis & gentibus (maxime uno loco habitantibus eademque sacra una usurpantibus) tanta fuit in S. Cœnæ usu diversitas, imo contrarietas, ut, quod uni parti placuit, alteri placere non potuerit, atque a Deo inevitabilis fuerit iisdem hujus partis sacrorum divisio, mirum sane est, hujus rei nullam uspiam in sacra historia mentionem fieri, nullasque diffensiones inde ortas, quales alias ex occasione circumcissionis enata frequentius ibidem recitantur. Hujusmodi certe facta supponi non debent sine claro & sufficiente testimonio, quale hic nullibi apparet. *Sexto* ipsa Cœna, quam nos a Domino institutam credimus, a sacris Autoribus ita describitur, ut ab instituto agni Paschalis longissime abeat, non in fine tantum, quem mutatum fuisse fingit adversarius, sed in ceteris quoque. Quomocumque interpretemur verba: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus: Hoc poculum novum illud testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur;* aliaque id genus plura, certissimum tamen est, hæc non modo ab ipso Agno Paschali, sed etiam ab omni Paschatis postcœnio, quod vocant, distinctissima esse, nisi quis summa imis vertere velit, & absurda interpretandi methodo quidlibet ex quolibet facere. *Septimo* vel sola illa Apostoli formula: *in usu panis & poculi hujus benedicti mortem Domini esse annuntiandam, donec venerit. 1. Cor. XI. 26.* evertit commentum de cœna in solo Paschate ad tempus continuanda. Non ad breve tempus, sed, donec venerit Dominus, hoc institutum Domini extenditur. Quod enim nonnulli hic de adventu spirituali in corda ad majus

incrementum Spiritus cogitant, mere precarium est. Formula illa absolute posita adventum Domini ad iudicium novissimum designat in S. literis, a qua significatione ex mero præiudicio hic receditur. Ut taceamus, non potuisse Christianos illius temporis dignos convivas esse Cœnæ Dominicæ, nisi prius in eorum cordibus Dominus fuerit per Spiritum suum. Unde etiam per se corrui, quod prætenditur, verbis Domini: *quotiescunque hæc feceritis* &c. significari, quamdiu scilicet hoc festum Paschatis adhuc celebraturi sint, tories eos id in sui memoriam facere debere. *Octavo* obstat opinioni, quam refellimus, aperta Pauli Apostoli confessio, se id, quod de Cœna docuit Corinthios, a Domino accepisse. Sensus obuius verborum est procul dubio, se nihil de hacre consilio proprio, vel sua autoritate, suadere atque præcipere, sed Dominum ista autorem habere, ejusque ordinationem se accurate sequi in hac causa. Recte inde concludimus, cœnam non fuisse actum aliquem arbitrarium, a Domino haud ordinatum, sed in usu suo saltem relictum, uti ab adversa parte fingitur. Deinde seposita adhuc quæstione: an Paulus hanc de S. Cœna institutionem atque notitiam mediate aut immediate acceperit? certum tamen est, accepisse eam a Domino, & quidem rectam, puram, Apostolici sui muneris finibus conformem. Non ergo is demum pro prudentia sua hæc ordinavit, agnum Paschalem a postcœnio divisit, illo relicto posteriùs tantum Corinthiis, tanquam conversis ex gentilibus, commendavit ad usum temporarium, quod iterum hic fingitur. Nulla vola aut vestigium de hujusmodi facto Pauli extat. Pura puta imaginatio arbitraria est. Porro si vel ad solum Domini & primæ Cœnæ exemplum, non vero ad præceptum Domini directum, Corinthios ablegaret hoc loco Apostolus (cujus commentum Autor BARCLAJUS est ante *Democritum*) hoc ad minimum inde sequeretur, velle Apostolum, ut Corinthiis S. Cœna utantur eum in modum, quem Christus Dominus in prima Cœna usurpavit, huncque in ea causa imitentur. Atqui secundum dissentientes Cœna prima nihil erat aliud, quam agni Paschalis usus cum actibus postcœnii sui, vi cuius permittebatur facultas Apostolis & Christianis ex Judæis simili ratione eam ad tempus prosequendi. Igitur & Corinthiis Christianis, inter quos multi fuerunt Judæi, primæ Cœnæ exemplum erat ex præcepto Apostoli imitandum, eam vero dividere non erat Paulo Apostolo vel integram, vel constitutum. Et quid denique vetat credere, non mediate, sed immediate, ista a Domino accepisse Paulum?

Verba,

Verba, prout jacent, hunc sensum pati, certissimum est. Scimus præterea hoc intendere alias Apostolum, cum & alibi dicit, se aliquid a Domino accepisse. Conf. 1. Cor. XV. 3. Et memorabile est, quod idem, ut erat Apostolus, non *ab hominibus*, aut *per hominem*, protestetur pariter data opera, se Evangelium a se prædicatum non *ab homine* ullo accepisse, & edoctum esse. Gal. 1. 1. 11. 12. Nisi *l. c.* idem dicere voluisset, nihil sane obstabat, quo minus fateretur, se historiam Cœnæ primæ ab Apostolis, vel sacris Scriptoribus (quod etiam GROTIUS opinatus est, dum putavit, Paulum Msterum Lucæ Evangelium legisse) authentico testimonio didicisse. Denique non dicit Paulus, se de Domino didicisse, scilicet aliunde, quomodo in cœnam suam primam celebraverit? sed a Domino se hoc accepisse, ait. Ipsarum illarum ratiuncularum, quibus hanc expositionem refellere conatur adversarius, imbecillitas ipsam confirmat. *Non opus*, inquit, *habuisset Paulus circumstantias illas Cœna prima recitare Corinthiis, si per immediatam revelationem fuit edoctus.* Quasi vero illæ objectum sive materia hujusmodi revelationis esse non potuerint, quoniam beneplacitum erat Dei & Salvatoris ex Paulo Apostolum facere non ab hominibus & per homines. Addit, *absurdum fore statuere, quod Christus ad dextram Patris curam gerere voluerit ex cœlo exterarum ceremoniarum, de quibus ordinandis ne quidem in carne sua fuerit sollicitus.* Præterquam autem, quod falsissimum sit, & mera petirio principii, Dominum in carne nihil hujusmodi ordinasse, id potius absurdum est statuere, quod Christus Dominus gloria sua indignum reputet in cœlo curam gerere Ecclesiæ suæ in omnibus illis rebus, quas ad eam pertinere voluit. Cetera verba contemptum rei in se sanctissimæ, & summam cum reverentia a sanctis Viris in S. literis descriptæ, indicant, qui ingenti culpa vacare non potest. *Nemo*, post laceratas misere Scripturas ipsas ex Historia Eccles. prætenditur, Christianos secundi seculi primos autores exiitisse fabulæ hujus Sacramentariæ; *Evohetas & Embusistas* in catalogo hæreticorum veterum ab orthodoxis Sacramentariis prævalentibus positos fuisse homines illuminatos, ac testes veritatis adversus has abominationes Sacramentarias: nostra vero ætate Quackeros pariter in rectam hic semitam incidisse, omnesque has nugas (*den ganzen Bettel &c.*) jure abjecisse. Nos vero ad hæc omnia respondere possumus: multa hic dici, & pauca, vel nihil, probari. Qua parte veteres illi Christiani retinuerint fidem de his rebus Apostolicam? qua parte aliquid de suo adjecerint? non est adeo difficile discer-

discernere. Substantiam ipsam doctrinæ de Sacramentis N. T. eos demum excogitasse, adversarii fabula est, non veritas Historica. Si vera sunt, quæ de *Evchetis & Embusistis* tradit Historia, utut valde imperfecta, inde sane non apparet, recte eos sensisse in articulis doctrinæ & praxeos controversis, ac fuisse re ipsa, quales videri voluerant. GOTHOFREDUS ARNOLDUS hoc eorum rebus pharmaco consulere voluit, ut ostenderet, eorum doctrinas non fuisse recte intellectas, quin potius detortas & nimis crude propositas. *Democritus* autem contra iturus audentius fatetur, eos illa omnia vere statuisse, & in his suis crudissimis sententiis testes veritatis illuminatos se præbuisse. Sed quid hoc iudicium probat aliud, nisi quod *Democritus* hac parte cum illis *Evchetis*, & *Quackeris* modernis, idem sentiat doceatque? de quo nulla controversia est. Quid verum sit, quid falsum in hac causa? exinde intelligere non possumus. Alia igitur norma opus est. Quod denique *decimo*, Satyricam illam & dictatoriam insuper paraphrasin attinet, qua cantilenæ cuidam Ecclesiæ nostræ innocentissimæ, ejusque Autori, insultat, ad id multis verbis respondere vix operæ pretium est. Argumentum hujus cantilenæ in se sanctissimum est, & a piissimis quibusvis in exercitio sinceræ devotionis cum benedictione usurpandum. Constat pariter, Autorem hujus hymni fuisse Virum religiosum & pium, cui propter hanc oden cæcitatem & indurationem, imo extremum ejus gradum, imputare absque impudentia nemo potest. Eo minus necesse est hanc oden deserere, quoniam ratio princeps, ob quam tam atrocia in illam convicia jaciuntur, in impiam illam hypothesin resolvitur, quod omnes doctrinæ de Sacramentis N. T. ab ovo statim nil nisi fructus tenebrarum, & idololatricæ sordes, fuerint. Quam a vero hæc sint aliena, & ex figmentis temerariis consarcinata, multis hucusque argumentis ostendimus, quibus plura non minoris momenti adjungere longe esset facillimum.

§. 6.

Cum vero supra jam observaverimus, iudice *Democrito*, *Quackeros* reum tramitem hic reperisse, (*sie seyen auf den rechten Sprung gekommen*) nihil urique facimus a scopo nostro alienum, si supplementi quasi in locum nonnulla ad animum & examen heic revocemus, quæ ROB. BARCLAJUS ad eandem in summa rei doctrinam, similique proposito divinitatem institutionem Baptismi & Cœnæ negandi, in *Apologia sua Theol. Christ. Theol. XII. & XIII.* contulit ante *Democritum*, & quidem longe adhuc diligenti-

gen:

gentius & gravius, quam ab hoc factum est. Quod ad Baptismum attinet, de eo, quoniam brevitatis paginæ id non permittit, multa hic ex eo *Scriptore* non repetam. Alterum potius, quod utrinque urgetur, cum a BARCLAJO, tum a *Democrito*, argumentum expendimus, quod petitur ab indole N. T. cujus si vel modice gnari essent Christiani, nunquam eos de ceremoniis sacris in N. T. a Domino institutis ad usum spirituales cogituros, ab ipsis affirmatur. Enimvero de indole N. T. quid illa secum ferat? quid patiat, nec ne? non est nobis proprio ex arbitrio fingendum, sed judicandum ex testimoniis authenticis eorum, qui nos nomine Dei de hac indole docuerunt. Hos si consulimus, non certe reprehendimus, eos omnia externa a cultu Dei tanquam N. T. genio contraria remove. Etiam in N. T. cultus Dei non solum est internus, sed etiam externus. Præter rem & experientiam Christiani N. T. finguntur esse hujusmodi homines, qui nullo medio externo indigeant ad sui excitationem & confirmationem. Quidni magnam ædificationem & utilitatem ad hunc scopum afferre possit, si hujusmodi mediis ipsa auctoritas Christi Domini, promissio, ordinatio & efficacia divina accesserit? Non sunt ergo vagis declamationibus præoccupandi animi: sed proxime & directe inquirendum, an placuerit Domino in ipso etiam N. T. hujusmodi externas ordinationes dare Ecclesiæ suæ? Nos id ipsum fecisse, exemplis perspicuis probamus, quibus pars adversaria contradicere non potest, nisi per audaces detorsiones, conjecturas & consequentias. Nostri vero adversarii in hac causa primo loco supponunt genium N. T. nihil hujusmodi permittere, ac deinde per precariam & male intellectam hanc hypothesein induci se patiuntur, ut locis etiam claris Scripturæ vim faciant. Hæc methodus est perverla & præpostera. Videamus porro quasnam rationes BARCLAJUS opponat divinæ institutioni S. Cœnæ, prout illam ceteri Christiani statuunt. Hic multa is cum *Democrito* communia habet, multa etiam, quæ solus tradit, & tanquam propria sibi vindicat. Nos vero breviter & nervose notabimus, quid de earum observationum veritate judicandum censeamus. Primum BARCLAJUS sollicitè distinguit participationem corporis & sanguinis Christi *Job. c. VI.* descriptam, quam agnoscit, & S. Cœnam ab Evangelistis recitatam, de qua pronuntiat, illam profus diversam esse a priore, & nihil fuisse aliud, quam Ceremoniam Judaicam & temporariam. Quicquid sit de loco *Johannis citato*, qua fronte dici potest, Cœnam illam, quam sacri Scriptores, atque inter eos Paulus quoque, recen-

sent, rem plane aliam esse, quam participationem corporis & sanguinis Christi, quorum tam disertam & frequens ibi fit mentio? Ut hoc figmentum tueatur BARCLAJUS, cogitur quoque asserere, quod Paulus 1 Cor. X. non loquatur de cerimonia Cœna sicut de eâ docet 1 Cor. XI) sed solum ab excellentia illius privilegii, quod habebant Corinthii, uti Christiani fideles, participandi de carne & sanguine Christi, debortetur eos ab idololatria & participatione sacrificiorum, qua idolis oblata fuerunt &c. cum tamen hæc divisio utriusque capituli & argumenti illorum sit mere precaria, nihilque contra clarius appareat, quam quod de sacra Cœna ibi sermonem habeat Apostolus. Objicit porro, corpus & sanguinem, de quibus participant fideles, esse corpus Christi ecclesie, cœlestemque sanguinem, non vero corpus illius mortale, & sanguinem terrestrem & elementarem. Illorum mentionem fieri ad participationem: horum ad commemorationem & recordationem, Quamvis autem commodum nobis hoc loco non sit tractare hanc quæstionem de corruptione cœlesti Christi, quod nonnulli tribuunt Filio Dei ante existentiam omnium creaturarum, alii vero derivant ab Adamo adhuc Paradisiaco, Democritus autem Christo homini assignat tanquam præmium fructumque devicti in se ipso peccati, per opinioniones spirituali quidem prætextu ornatas, e diametro autem sibi invicem contrarias & incomparabiles, monebimus tamen pro scopo nostro, hanc quæstionem alienam esse a statu controversiæ nostræ, in qua id unum nunc contenditur, num S. Cœna ab Evangelistis & Paulo descripta habeat institutionem divinam, nec ne? Mirum est de cetero, quod talium opinionum defensores singulare quoddam præsidium in illis quaerant. Dicunt alias contra nos, corpus non posse esse cibum animæ. An ergo cœlestis corpus non est corpus, quod illi tamen animæ non verum saltem, sed etiam unicum, cibum faciunt, ac præterea universalem omnium hominum, quod quot unquam salvati sunt? Ultra hæc prolixè urget BARCLAJUS eodem jure, imo longe adhuc majore, defendi posse perpetuitatem ex institutione divina lotionis pedum & unctio- nis agrotorum. At posterius exemplum profus non quadrat, si verum sit, quod ipse agnoscit adversarius, miraculi donum fuisse sanare per oleum, quod ad ordinarias Dei vias in Ecclesia referri non potest. Neque sequitur, hoc modo etiam orationem deserendam fuisse, cui etiam hæc salus agroti adscribatur, si de oratione ordinaria hominis Christiani cujusvis sermo sit: potest autem concedi, donum orationis miraculosa sive miracula patrantis nec universale fuisse, nec perpetuum. De lotione pedum a BARCLAJO objecta vere dici potest, si quid probat hæc instantia, non sane evinci, quod S. Cœna debuerit brevi cessare, uti cessavit lotio pedum: sed potius, lotionem pedum æque observandam esse a Christianis, atque S. Evcharistiam. Enimvero hoc ipse adversarius non intendit. De reliquo S. Cœnam eo sem h. e. n. d. x. ceremoniæ, ejusque æqualiter mutabilis, loco, quasi haud inviro Domino, ponere cum lotionem pedum, nullo exemplo repetitionis postea factæ, n. allis mysteriis & attributis similibus munita, notorie affectatum est. Ad extremum, plane aliena sunt a vi probandi verba Job. VI. 6. 4. *carnem nihil prodesse, vel Col. III. 2. Col. II. 8. 16. Rom. XIV. 27.* & similia, in quibus de carne in sensu figurato, vel saltem Capernaïtico, de discrimine legali cibi & potus sublato, de cœlesti denique mente animoque agitur, ut ne ver- bulo quidem ad depellendam finistram horum locorum interpretationem opus esse videtur. Plura jam non addimus,

F I N I S.

ED-Beg. 2002

01 A 6729

Retra

Mi. 46





7. 5.
RENOVATÆ EXCEPTIONES
CONTRA
DIVINAM INSTITUTIONEM
BAPTISMI & S. COENÆ,

QVÆS
DEO JUVANTE,
RATIONIBUS JUSTIS EXIGENTIBUS

PRÆSIDE
CHRISTIANO EBERHARDO
WEISMANNŌ,

THEOL. DOCT. ET PROFESS. ORD.
ECCLESIAE TUB. DECANO, & DUCALIS SEMINARII THEO-
LOGICI SUPERATTENDENTE,

AD D. MENSIS JULII A. D. MDCCXXXVI.

H. Lq, solitis

PUBLICÆ VENTILANDAS PROponent

RESPONDENTES

JACOBUS FRIDERICUS SPITTLER, Cantstad.

JOHANNES FRIDERICUS JÆGER, Stuttgart.

PHILOSOPHIAE MAGISTRI & S. S. THEOL. STUDD.

TUBINGÆ,
Litteris SCHRAMMIANIS.